

Please prepare a good literary translation of the entire passage in the time allowed. Use of a dictionary is permitted. Choose one of the two passages.

Time allowed: 2 Hours

## PASSAGE I

## I

The Value of Poetry to a Roman Aristocrat

Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi quam ex Latinis, vehementer errat, propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus exiguis sane continentur. Qua re, si res eae quas gessimus orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo hominum nostrorum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare, quod cum ipsis populis de quorum rebus scribitur haec ampla sunt, tum eis certe qui de vita gloriae causa dimicant hoc maximum et periculorum incitamentum est et laborum. Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! Atque is tamen, cum in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset: 'o fortunate,' inquit, 'adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!' Et vere. Nam, nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus qui corpus eius contexerat nomen etiam obruisset. Quid? noster hic Magnus qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mytilenaeum, scriptorem rerum suarum, in contione militum civitate donavit, et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti quasi participes eiusdem laudis magno illud clamore approbaverunt? Itaque, credo, si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur perficere non potuit. Sulla cum Hispanos et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiasset; quem nos vidimus, cum ei libellum malus poeta de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset tantum modo alternis versibus longiusculis, statim ex eis rebus quas tum vendebat iubere ei praemium tribui, sed ea condicione ne quid postea scriberet. Qui sedulitatem mali poetae duxerit aliquo tamen praemio dignam, huius ingenium et virtutem in scribendo et copiam non expetisset? Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se neque per Lucullos impetravisset? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet ut etiam Cordubae natis poetis pingue quiddam sonantibus atque peregrinum tamen auris suas dederet.

## PASSAGE II

### II

#### How a Farm Manager Should Behave

Igitur complurium agrestium formatus artibus, qui susceperit officium villicationis, in primis convictum domestici, multoque etiam magis extervitet.<sup>3</sup> Somni et vini sit abstinentissimus, quae utraque sunt inimicissima diligentiae. Nam et ebrioso cura officii pariter cum memoria subtrahitur; et somniculosum plurima effugiunt.<sup>4</sup> Quid enim possit aut ipse agere aut cuiquam dormiens imperare? Tum etiam sit a venereis amoribus aversus: quibus si se dederit, non aliud quidquam possit cogitare quam illud quod diligit. Nam vitis eiusmodi pellectus animus nec praemium iucundius quam fructum libidinis nec supplicium gravius quam frustrationem cupiditatis existimat.

Igitur primus omnium vigilet, familiamque semper ad opera cunctantem pro temporibus anni festinanter producat et strenue ipse praecedat. Plurimum enim refert colonos a primo mane opus aggredi nec lentos per otium pigre procedere. . . . Nam ut in itinere conficiendo saepe dimidio maturius pervenit is, qui naviter et sine ullis concessationibus permeabit, quam is, qui cum sit una profectus, umbras arborum fonticulorumque amoenitatem vel aurae refrigerationem captavit: sic in agresti negotio dici vix potest, quid navus operarius ignavo et cessatore praestet. Hoc igitur custodire oportet villicum, ne statim a prima luce familia cunctanter et languide procedat, sed velut in aliquod proelium cum vigore et alacritate animi praecedentem eum tamquam ducem strenue sequatur, variisque exhortationibus in opere ipso exhilaret laborantes: et interdum, tanquam deficienti succursurus, ferramentum auferat parumper, et ipse fungatur eius officio, moneatque sic fieri debere, ut ab ipso fortiter sit effectum.

Atque ubi crepusculum inceserit, neminem post se relinquat,<sup>3</sup> sed omnes subsequatur more optimi pastoris, qui e grege nullam pecudem patitur in agro relinquere. Tum vero, cum tectum subierit, idem faciat, quod ille diligens opilio: nec<sup>1</sup> in domicilio suo statim delitescat, sed agat cuiusque maximam curam; sive quis, quod accidit plerumque, sauciatus in opere noxam<sup>2</sup> ceperit, adhibeat fomenta: sive aliter languidior est,<sup>3</sup> in valetudinarium<sup>4</sup> confestim deducat, et convenientem ei ceteram curationem adhiberi iubeat.